

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

S. D. Reverende & clarissime Vir, frater carissime.

Superiore autumno, prolixam epistolam, tibi inscriptam, misi Chialiano Passawero, Pastori ecclesie Spirensis, ad te curandam. Cum autem neuter tibi mihi responderit, ambigo, num recte vobis reddita sit. Itaque exemplum descriptum adjunxi. Intellego autem, vivere apud vos scholasticum pauperem, Hermannum Danichium, Plawensem, optimo & docto Viro, Pastore in hoc ducatu, natum. Eum oro, ut ad te accersas, & benevolentiam ac studium tuum deferas. Juvet etiam, cum poteris, ut in Collegio Wilhelmitano ipsi locus sit. Adolescentem non novi, sed Patrem, tua benevolentia non indignum, gratissimo animo beneficium accepturum esse, spondeo.

Historiam Nestorii tuam remitto, & pro communicatione amanter gratiam habeo. Meae vires animi & corporis quotidie sensim deficiunt, & ad metam tendunt. *Χριστι τὸς Χρησὶν Δδς. Βίαντιο τῶν.* Bene & feliciter Vale.
Die Gertrudis, 17 Martii. Anno 1595.

David Chytræus.

Gratia & pax à DEO Patre per Dominum nostrum Jesum Christum. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & in Christo frater honorande.

Antapodoma tuum ad Pezelium munus est mihi gratissimum, pro quo & magnas habeo & ago gratias; atque ex animo lætor in lucem illud produsse, spero enim fore, ut hinc lubrici hujus serpentis Sophisticationes, quibus venenum suum pingere & occultare studet, magis magisque innescant etiam simplicioribus, quorum animos blandiloquentia sua & inani verborum fuce haectenus decepit.

Grata etiam erit Ecclesie Christi *Asiaticis*, cujus mentionem in Epistola facis. Dominus noster Ihesus Christus, cujus causam agis, spiritu suo sancto te regat & roborret, & vitæ longævitate clementer concedat. Ut feliciter bellare bella Domini pergas, ad nominis sui gloriam, ad veritatis defensionem, & Calvinisticæ vanitatis confusionem æternam.

Jam pridem Calvinistæ hoc artificio illiberali uti cæperunt, ut aliud lingua sonet, aliud cor sentiat. Loquuntur interdum lingua nostrâ, at cor eorum longè à nobis est, in morem hyænæ, quæ vocem humanam imitari dicitur, in hominum perniciem, quos vocis similitudine allectos interficit. Sic adversa pars voce & verbis ad confessionem Augustanam, Apologiam, & Concord. Witebergensem accedere videri